

jam relata, eadem pro futura directione improthocollanda decernitur. Caeterum intuitu Nauli Kostaniczensis, hactenus per Commendantem loci possessi, ut idem per Dominum Commissarium Regni appraehendatur et exarendetur; ita etiam ut de Arendatore Nauli Zrinensis, pro A. 1762 in florenis 36 restantiario, ab Excellentissimo Domino Comite Generali Draskovics, in cujus terreno actu degit, satisfactio per eundem Dominum Commissarium Regni procuretur; nec secus boves divisionales Petrinenses per eundem Commissarium incassentur, (quaestione circa fiscalitates propter competentem utriusque sexus Successionem, glandinatione vero propter habitam per eosdem, ante resignationem loci hujus, intuitu exemptionem occasione resignationis iisdem reservatam cessante) determinatum est. Caeterum ad tollendam tandem quoad tenuta per possessores Jamniczenses aliosque trans Colapim possessa inter utrumque Statum subversantem quaestionem, Sua Excellentia Banalis mappam ejusdem terreni, cum interventu ubique interessatarum partium, conficiendam fieri curabit, ex Cassa publica persolvendam.

(Caeteris exmissis.)

Originale in Archivo Regni Croatiae.

1766. MENSE MAJO. ZAGRABIAE.

Articuli Generalis, A. 1766. 26. et sequentibus Mensis Maji diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in generali eorundem ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comititis, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Collapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Generali Campi Mareschalli, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarij et Camerarij, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comititis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro Vigesima Sexta et sequentibus Mensis Maji Anni Millesimi Septingentesimi Sexagesimi Sexti, Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.

(Caeteris exmissis.)

Articulus Quintus.

De ordinatu Deputatione pro fumorum inter Comitatus rectificatione.

Reportatis per Comitatus Conscriptionibus, ad eruendam ex iisdem inter Comitatus fumorum proportionem Status et Ordines Dominum Comitem Joannem